

cordia cum traditione romanæ Ecclesiæ. At enim cum vigerent aliæ quoque apostolicæ ecclesiæ, harum etiam traditiones cum traditione romanæ Ecclesiæ conferri debuissent, ut veræ deprehenderentur, sacra antiquitas docuit. Ita Irenæus insigni ac celebri loco, cum longum nimis atque impossibile esse dixisset, omnium ecclesiarum traditionem exquirere, sufficere docuit consulere traditionem romanam; idque probavit ex eo, quia ob primatum potentiorum romanæ ecclesiæ omnes undique fideles et omnes Ecclesiæ cum ea in fide consentire debent, ut proinde cognoscere romanam traditionem ac fidem perinde sit ac cognoscere traditionem ac fidem aliarum orbis catholici ecclesiarum (1). Plura in hanc sententiam vide apud Petrum Ballerinum. De vi et ratione primatus RR. PP. illud animadvertit, universalitati haud obstare, si quæ Ecclesiæ particulares aliquamdiu dissenserint, uti patuit in causa de baptismo hæreticorum, de authentia item sacrorum librorum.

XLII. De traditionibus, maximè divinis, errores non ferendos in chartam projecit auctor Princip. J. P. E. catholicorum. Agit de iisdem c. II; ac § II ait: "De hoc Juris ecclesiastici principio lis multa est indè a sæculo XVI facti tamen potius, quam Juris. Nemo enim negat, verbo Dei tradito, si quod re ipsa existat, omnem deberi reverentiam; sed hoc inficiantur protestantes, quod existant præter Scripturam genuinæ traditiones. "Addit in nota: Undè anathema illud vagum S. concil. trid., sess. 4, non videtur efficaciter fulminare protestantes. Consimili ferè ratione, qua catholicus in thesi credens, reliquias sanctorum esse venerandas, non subicit anathema, si neget has *individuas reliquias esse veras*. § VII ait: Traditio alia est inhæsiva, alia declarativa, alia merè oralis. *Inhæsiva* est quæ tradit ipsum illud, quod clarè scriptum est. *Declarativa* disertius explanat quod sacra Scriptura breviter, aut minus clarè docet. *Mere oralis* tradit quod nullo modo, ne implicitis quidem terminis, scriptum est. § X: Traditiones merè orales instar priorum vel sunt *dogmaticæ*, vel *disciplinares*. An dentur dogmaticæ, a verbo Dei scripto planè separate quarum ne obscura quidem mentio fiat in sacris paginis, quæstio est purè scholastica, quæ tantas rixas haud meretur. § XI: Mihi videtur vix ostensum iri dogma aliquod pragmaticum et fundamentale Religionis christianæ, quod traditione merè orali nitatur. Dogmata verò secundaria et pragmaticis inferiora exhibet traditio, quæ ægrè ex S. Scriptura eruuntur."

XLIII. Hæc quidem, ab homine catholico sine stomacho legi vix possunt; auctor tamen qui ea profudit, principia Juris publici ecclesiastici *catholicorum*, et ad usum tyronum scribere se professus est. Antequam respondeam, audienda est atque exponenda doctrina SS. concilii tridentini I, sess. 4, S. synodus se perspicere ait "salutarem veritatem et morum disciplinam contineri in libris scriptis, et "sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab apostolis, Spiritu Sancto dicente, quasi per manus traditæ ad nos usque pervenerunt."

1. "Orthodoxorum patrum exempla secuta (synodus) omnes libros tam veteris, quam novi Testamenti, necnon traditiones ipsas tum ad fidem tum ad mores

(1) S. Irenæi locum, l. 3, c. III, adversus hæreses distinctè exposui in Inst. J. E. P. c. IV, § 343. Illud nunc addam, quod de eodem S. Irenæi loco in actis SS. ad diem 28. Junii, p. 339, narratur. Regem Franciscum I, mellitis hæreticorum sermonibus, et personatorum catholicorum artibus, propè actum in muscipulam, cardinalis Turnonius fraudi unaque Galliam universam ruinæ subduxit, ostentato sui, ut aiebat, in Lugdunensi sede decessoris volumine; et regi (at erat litterarum et librorum amatissimus) de industria suggestit quæ S. Irenæus l. 3, c. III, de apostolorum et apostolicorum virorum in hæreticos odio et diligenti eorum devotione, quamcumque speciem pietatis obtendant, scripta reliquit.

"pertinentes, tanquam vel ore tenens a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et "continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu et reverentia suscipit et veneratur."

2. Post enumeratos singulatim libros canonicos, addit: "Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones prædictas sciens et prudens contempserit, anathema sit."

3. Addit omnes intelligere debere "quibus potissimum testimonio ac præsidio in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus sit usura," nempe Scripturis et traditionibus.

XLIV. Quæritur nunc I: "Rectène auctor dixit de traditionibus multam litem esse indè a sæculo XVI?" R. Pro traditione omni tempore contra hæreticos lis fuit, non tantum indè a sæculo XVI, quia novitati semper opposita fuit antiquitas seu asserta traditio, quam novatores respuebant. Nec verò tridentinum, nec antiquiores patres de illa tantum agunt traditione, quam merè *oralem* vocat auctor; uti sectarii non illam tantum rejecerunt; sed *declarativam* etiam, seu antiquam et ex traditione acceptam interpretationem verborum Scripturæ, indè et *inhæsivam*, culpantes publicam doctrinam et praxim Ecclesiæ. Sess. VI, c. 8, tridentinum tuetur declarativam et inhæsivam traditionem de verbis Scripturæ, quibus Apostolus dicit: Justificari hominem per fidem et gratis. Similiter, sess. 14, c. 1, de pœnitentiæ sacramento, et sess. 22, c. 9, de sacrificio missæ. Sess. 13, c. 8, ad traditionem Apostolicam provocat, dicens: "In sacramentali sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent; qui mos tanquam ex traditione apostolica descendens jure ac merito retineri debet." Sess. 22, c. 4, docet sacrum canonem missæ constare tum ex ipsis Domini verbis, tum ex *apostolorum traditionibus* ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus. Undè Pallavicinus, in historia concil. trid. p. I, l. 6, c. 18, n. 17, observat, concilium per sanctionem de traditionibus duo intendisse; alterum "palam facere, fide catholicæ fundamenta non modo esse divinas litteras, quod recentes hæretici pertinaciter contendebant; sed non minus etiam traditiones.—Alterum, profiteri, apostolicos ritus, ad hanc usque ætatem nobis per manus haud interruptè traditos, recipi ab Ecclesia, nec esse variandos, ut audebant hæretici; et verò, qui in hisce generalibus articulis dissentiebat, anathema infligi (1)."

XLV. Quæritur II: "Lis de traditionibus factinè potius est, ut auctor affirmat "an Juris et dogmatis?" R. Juris et dogmatis, haud secus, ac si quæritur an existant Scripturæ divinitus exaratae, an septem sint sacramenta a Christo Domino instituta. Ineptè auctor ea quæ antecedenter sunt contingentia atque liberrimo Dei beneplacito pendent, ad quæstiones facti, quæ Juris et dogmatis quæstionibus opponuntur, refert; multò rectius inter dogmata fidei fit distinctio, aliaque dicuntur

(1) Videtur S. concilium trident., ejusque eminentissimus historicus respexisse ad locum S. Basilii, l. de Spiritu Sancto. c. 27, ubi ait: "Dogmatum et institutionum, quæ in Ecclesia servata sunt, alia quidem habemus ex doctrina, quæ litteris consignata est; alia verò ex apostolorum traditione ad nos transmissa in mysterio accepimus, quæ utraque eandem vim ad pietatem habent." Vide apud Gratianum, can. 5, dist. 11, ubi correctores romani S. Basilii locum integrum Græce et latine exhibent.

tur *absolutè et ante omnem hypothesim necessaria, atque aeternæ veritatis*; qualia sunt de essentia divina, de personis, de infinitis perfectionibus Dei: alia *antede- denter contingentia et mutabilia*; cujusmodi est universa œconomia humanæ salutis in hac providentia, sive consilia atque opera divinæ justitiæ, et misericordiæ in reparando homine lapsa, institutio sacrificii, sacramentorum, hierarchiæ ecclesiasticæ.

XLVI. Quæritur III: "Anathema tridentini in hac causa fulminatum rectène "vagam ab auctore dicitur, quatenus nemo negat, verbo Dei tradito, si quod reip- "sa existat omnem deberi reverentiam, sed hoc tantum, quod reipsa existant tra- "ditiones?" R. Negative: nam anathema tridentini non in eos vibratum est qui negant verbo tradito deberi reverentiam, etsi constat id existere, sed in eos qui negant ullum omninò verbum traditum existere, quique solas Scripturas pro adæ- quata regula fidei habent. Id verò negarunt sectarii antiqui et novi. At, inquit auctor, nemo *sciens et prudens*, traditiones contemnit, hoc est nemo qui scit eas dari; protestantes autem hoc non sciunt. R. Qui ignorat traditiones dari, id dis- cere debet ab Ecclesia; ac probè norunt protestantes Ecclesiam, traditiones dari docuisse, anathema ferit eos qui hanc doctrinam Ecclesiæ ipsasque traditiones spernunt, non eos qui quoquo modo contra traditiones agunt; quia aliud est legem violare, aliud ipsam legem, ejusque existentiam contra Ecclesiæ doctrinam perti- naciter impugnare (1).

XLVII. Quæritur IV: "Lis de traditionibus merè oralibus, et a verbo Dei pla- "nè separatis an merè scholastica Jure dicitur, quæ tantas rixas non meretur?" R. 1. Nego supp., quòd contra veteres et novos sectarios de traditionibus merè oralibus *tantum* lis fuerit. Rejiciunt iidem interpretationes, quas Ecclesia secuta doctrinam Patrum, et usum perpetuum eorum rituum hoc est, traditionem oppo- nit; hanc etiam rejiciunt sectarii. R. 2. Utrum extet verbum Dei scriptum, qui- bus in libris et versionibus extet authenticum, qui libri canonici sint; aliud certò constare non potest, nisi ex traditione merè orali, ex qua Ecclesia illud proponit ac docet. Tritum est S. Augustini dictum: "Ego verò Evangelio non crederem, "nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas (2)."

XLVIII. Quæritur V: "Rectène distinxit auctor inter dogmata pragmatica et "fundamentalia, aliaque secundaria, et pragmaticis inferiora." R. Quo sensu ita distinxerit, non explicat, nec interest multum indigare. Illud constat indifferentis- tas, ac syncretistas duplicis generis articulos fidei distinguere, quorum alios vo- cant *fundamentales, substantiales, essentielles*, in quibus convenire debent omnes, qui salutem velint consequi; alios *accidentales, arbitrarios, adiaphores*, quos cre- dere vel respuere pro libitu quis possit citra periculum salutis. Hoc posito, con- tendunt discrimen, quod inter catholicos, lutheranos et calvinistas intercedit, non esse *substantiale*, nec in fundamento fidei sed solum circa *res adiaphoras*; catho- lici contra perpetuo docent fidem esse individuum, nullum articulum quem quis ab Ecclesia propositum, tanquam revelatum a Deo, novit, sine jactura fidei et sa- lutis negari vel in dubium vocari posse. Docent præterea aliquos fidei articulos

(1) Has ineptias auctor descripsit ex pseudohistoria Pauli Sarpi, quem l. c. refutat card. Pallavicini. Paritas de reliquis ad rem non est; quia cum protestantibus lis non fuit, utrum exstent veræ reliquiæ; sed an, in hypothesi quod eas exstare satis compertum sit, venerandæ sint; quod ipsum negarunt protestantes.

(2) Contra epist. fundamenti c. 5, similia habet, l. 18, c. 4, contra Faustum.

necessario et *explicite* sciri, et credi ab omnibus debere, reliquos saltem *implicite* (1). Cæterum uti ex sententia auctoris dogma de existentia sacrarum Scriptu- rarum fundamentale est, et pragmaticum; ita et dogma de traditionibus, quia utraque pari pietatis affectu suscipienda sunt.

XLIX. Hactenus de *divinis* maximè traditionibus actum est, quæ aliquando *apostolica* vocantur, eo quod ex Christi ore acceptæ vel a Spiritu Sancto dictatæ per apostolos ad nos transmissæ sunt. Aliæ apostolicæ sunt juris humani et mu- tabiles, perindè ut lex abstinentiæ a sanguine et suffocato, ritus immersionis in baptismo, et institutio diaconissarum mutatæ sunt (2). Memorabilis est regula S. Augustini: "Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed sem- "per retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissimè creditur (3)." Et alio loco: "Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem "toto terrarum orbe observantur, datur intelligi vel ab ipsis apostolis vel plenariis "conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque sta- "tuta retineri." Tertullianus verò ait: "Id esse ab apostolis traditum, quod apud "ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum." Sed hoc quidem dictum ad divinas etiam traditiones referri potest. Plurimas regulas Juris sacri sola traditione ab apostolis ad successores manasse, dubium non est; tum quia vigeat illo tempore disciplina arcani, de qua iidem explicant dictum Christi, Matth. 6: "Nolite dare "sanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos."

L. Apostolicas quidem traditiones apertè improbare vix hæretici ausi sunt. Ro- manos tamen Pontifices reprehendit Boehmerus, quod alias omnes ecclesias ad observandas romanæ Ecclesiæ consuetudines adigere conentur; quia, secundum sententiam S. Augustini, *hoc genus liberas habeat observationes*, ut est apud Oratianum, can. 11, dist. 11 (4). Sunt enim verò multa disciplinæ capita, quæ liberas habent observationes, et aliis locis aliter atque aliter observantur, quandò antiquis canonibus nihil definitum est, aut legitimus usus prævaluit (5). At quis nescit alia capita ex apostolica traditione, quam romana diligentissimè custodivit Ecclesia, penitus definita esse, atque in iis regulam de romana disciplina et nor- ma observanda in antiquissimis collectionibus longo Ecclesiarum usu probatis exstare (6)? Certum est enim (ut animadvertit Cl. Zech. in præcognitis Jur. can. de Jure non scripto), nulla re magis commendari Ecclesiæ catholicæ ritus et disciplinam, quàm exactissima uniformitate per omnes provincias observata; deest

(1) Huc pertinent quæ de unitatæ fidei in inst. J. E. P. docui, § 319, et ib. c. VIII, § 335.

(2) § S. Augustinus suo jam ævo, I, 32, c. 15, contra Faustum scribit: "Quis jam hoc christianus observat, ut minores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus?—Qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a cæteris ridentur."

(3) De disciplina arcani eruditissimè scripsit Schelstratus, quem immeritò carpit Bingham Antiquit. Eccles. vol. IV, I, 10, c. 5.

(4) Boehm. Jur. eccl. protestant. I, 1, tit. 4, § 26, de Innocentio p. I, ait: Satis impertinens et libertati ecclesiasticæ adversa fuit Innocentii I, Episcopi romani prætentio, contententis omnes cæteras ecclesias ad observantias Ecclesiæ romanæ attendere debere, quasi observantia illius Ecclesiæ aliis quoque legem præscriberet." Epistola Innocentii, de qua auctor hetero- doxus agit, scripta fuit a. 416, et quidem a Pontifice Græcorum ac Latinorum elogio summè exornato; neque is de recenti observantia, sed antiquis custodiendis regulis agit.

(5) Apud Gratianum, can. 5, 4, 10, dist. 12.

(6) Ita in iis collectionibus exstat epistola Innocentii I, quàm Boehmerus criminatur; cons- tituta item Gelasii P., quæ eandem præscribunt romanam normam.

autem ut potius membra capiti, scilicet romanæ Ecclesiæ, quàm caput membris se conformet; cum sciamus doctrinam evangelicam per universum Occidentem ex romana cathedra propagatam esse; ut meritò reliquæ Ecclesiæ antiquos matris suæ mores sequantur, ad quos romani Pontifices identidem novis decretis alias ecclesias reducant.

LI. *Ecclesiasticas* traditiones et observationes, quarum origo ad prima Ecclesiæ tempora certis documentis revocari nequit, indignis sæpè modis explodunt, negliguntque ii etiam, qui catholico nomine gloriantur, etsi eadem vigeant plurimorum usu sæculorum, et observantiam habeant a viris sanctissimis, et ab Ecclesia haud obscurè approbatæ sint. Populum iis inhærentem *præjudiciis* obcæcatur dicunt; ipsas sacras observationes vocitant *superstitiones, abusus, genus mechanicum pietatis, doctrinas et mandata hominum*, respicientes nempè ad verba Christi, Matth. XV, traditiones pharisaicas improbantis. Ita novi doctores ævi nostri; universam propè *præsens Ecclesiæ disciplinam* asperrantur, carpuntque.

LII. De *præjudiciis* primo respondendum duco. *Præjudicium* in disciplina Juris denotat exemplum decisionis in causa similiter judicata; vel iudicium quod in una causa quadam præcessit, aut præcedere debet, donec lis præcipua dirimi queat; indè nomen habent actiones *præjudiciales*, quales sunt actiones status. Hoc loco *præjudicia* denotant opiniones aut persuasiones de actibus religionis ante conceptas, quam iidem a quovis privato satis examinati sint. De qua re tota ita statuentium iudico:

LIII. 1. Cum de inquirenda aut examinanda divina religione, ejusque actibus agitur, labor, aut disputatio inchoari non debet ab interpretatione Scripturarum, quia ipsa divinitas, canon, authentia, genuina expositio Scripturarum ex ipsis Scripturis haberi non potest; cum ut ex dictis constat Scripturæ non sint adæquata regula fidei, sed traditiones habeant adjunctas, et cum deniquè si solis insistatur Scripturis, examinis aut disputationis finis obtineri nunquam possit. Hanc inquirendæ atque examinandæ religionis regulam dudum agnovit Tertullianus, in libro, quo ex instituto contra varias hæreses agit: postquam enim docuerat disputationem ex Scripturis nihil proficere, cum pars utraque suam interpretationem tenere aut tueri soleat, addit: "Ergo non ad Scripturas provocandum est, in quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut parum certa: nam etsi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum; quibus competat fides ipsa, cujus sint, Scripturæ a quo, et per quos et quando; et quibus sit tradita disciplina; qua fiunt christiani (1)." Hoc est, primo omnium inquirendum est, quæ sit vera Christi Ecclesia, originem habens apostolicam, easque perspicuas notas, per quas a falsis sectis discernitur.

LIV. 2. Quæ sit vera Christi Ecclesia, originem habens apostolicam, easque perspicuas notas, per quas a falsis sectis discernitur, nec rudibus et incultis hominibus, qui catholicæ Ecclesiæ notitiam habent, obscurum esse potest. Est enim Ecclesia Christi civitas supra montem ædificata, quæ locis et temporibus omnibus conspici potest. Perspicua est unitas fidei et communionis; perspicua concentratio et communis adhesio ecclesiarum orbis erga apostolicam sedem; perspicua origo et successio apostolica non interrupta in hac prima sede; perspicua sanctitas

(1) De præscriptionibus adversus hæreses, c. 19.

doctrinæ catholicæ; perspicui fructus hujus doctrinæ in tot martyribus et confessoribus etiam posteriorum temporum, quos constat eandem doctrinam firmissimè tenuisse; perspicua lux miraculorum; perspicua diffusio ejusdem Ecclesiæ per totum orbem in eadem fide et communionem consentiente. Cæteras sectas exiisse ex hac Ecclesia palam est. Atqui, ut Tertullianus, l. de præscript. observat, prior est vera doctrina, quam hæresis; prior arbor, quam rami amputati; prius ædificium, quam lapides ex ædificio projecti; prius corpus, quam membrum abscissum. Hæc ratione cognoscuntur, sed magis divinæ gratiæ lumine: nam fides Dei donum est et operatio Spiritus sancti non pendens ab humana scientia, quæ inflat teste Apostolo; ac Christus dixit: *Oves meæ vocem meam audient; ipse adducit illas in ovile suum; ipse ædificat Ecclesiam suam.*

LV. 3. Cognita veritate Ecclesiæ catholicæ, et apostolorum missione ac successionem permanente, per se consequitur Ecclesiam ex præcepto Christi audiendam; constitutam ab Ecclesia disciplinam, ac pro temporum ratione temperatam sine dubio amplectendam esse. Non patitur sanctitas Ecclesiæ, quæ divino semper Spiritu regitur, ut disciplinam ab ipsamet inductam et apertè tacitè approbatam, tanquam malam aut superstitosam, criminemur.

LVI. 4. Hæc si vis *præjudicia* appellare, per me appelles. Posteaquam ab Ecclesia quidquam constitutum, probatumve est, dico, *præjudicatum* esse; causam finitam esse actioni præscriptum esse; hæc præscriptio litis novæ ingressum impedit; hæc actorem, accusatoremve a limine iudicii repellit (1), ac quivis nostrum solemniter et jurato spondet: "Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissimè admitto et amplector. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in prædictorum omnium sacramentorum solemnem administrationem recipio et admitto."

LVII. In iis, in quibus generalis Ecclesiæ constitutio deficit, maximi facimus sensa, dicta atque exempla hominum proborum sanctorumque, eorum maximè quorum virtus publico Ecclesiæ testimonio et solemnem cultu comprobata est. Nam intelligentia rerum ad religionem pertinentium, operumque placentium summo Deo potissimum pendet a divino Spiritu, cujus impulsu homines probi sanctique sentiunt præ aliis, et sequuntur. Ad hos pertinet promissum Christi: "Qui diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum" (Joan. XIV, 21); itemque illud, quod scripsit dilectus discipulus Christi: "Qui servat mandata ejus (Christi) in illo manet, et ipse in eo, et in hoc scimus, quoniam niam manet in nobis de spiritu, quem dedit nobis (I Joan. III, 24)." Ipsum sacrosanctum concilium tridentinum allegat *usum hominum piorum* (2), ac summi Pontifices, Clemens XII et Benedictus XIV, in insigni constitutione edita contra tenebrosa quorundam conventicula, vulgò *de liberi muratori* aiunt: Conventicula prædicta vehementem adedò fidelium mentibus suspicionem ingesserunt, ut iisdem aggregationibus nomen dare, apud prudentes et probos viros idem omninò sit, ac *pravilatis et perversitatis notam incurrere*. Hominum igitur proborum sanctorumque, præsertim consentientium magno numero, sensa dictaque longè

(1) Hoc sensu Tertullianus inscripsit librum de præscriptionibus, qui nulli librorum, quos idem magno numero effudit, utilitate concedit. Stylo nempè juris peritorum præscriptionis voce denotavit exceptionem, qua agere vel accusare volens sine nova causa cognitione submovetur.

(2) Sess. XIV, c. 5, de confessione peccatorum venialium.

anteferimus insolentibus clamoribus novatorum ætatis nostræ, qui nævos sponsæ Christi abstergere volunt; cum ipsi in luto hæreant, quique festucam vident in oculo boni fratris, trabem in oculo suo non vident. Si tanto religionis studio ardent; cur capitalia hæresum schismatumque crimina tam molliter et indulgenter tractant; culicem nempè excolantes: et camelum glutientes?

LVIII. Dictum est de præjudiciis. Quanto justius veriùsque conqueruntur boni omnes ob falsissima et calumniis plena præjudicia, quibus orbem terrarum opplent minuti scriptores temporum nostrorum, non tam in quæstionibus Juris ac dogmatis de rectitudine actionum, de qua omnes judicant, quibus mens sana et proba est, quam in *assertis historicis* maximè, quorum falsitas a paucioribus deprehendi solet, quæque eo pejora sunt, quod ægrè vir bonus in animum inducat, tantam imprudentiam mentiendi calumniandique reperiri posse, ut pro falsis haberi queat, quæ toties tamque publicè dicuntur, scribunturque. Isidorum Mercatorem quoties nominant, tanquam pro re explorata habentes, falsis decretalibus disciplinam ecclesiæ penitè immutatam, corruptamque fuisse? Res gestas a sanctissimis Ecclesiæ universæ pastoribus quomodo exponunt? Ita nempè ac si compertum esset omnia ambitione et amplificandæ potestatis gratia fuisse gesta? De virginibus Deo sacris quoties affirmarunt invitas plerasque omnes hæere in claustris, et liberatorem expectare? Universum Justiniani Jus quomodo vexant? Stramineum vocitari ipse audivi, quia vel nomen romanum invisum est. De sanctissimis cultus externi operibus quid garriunt? Mechanicam pietatem exerceri aiunt: quasi intima cordis penetralia inspicerent ipsi atque interni sensus pietatis vacua deprehenderent. Infinita sunt generis istius asserta, quibus *præjudicia* veri nominis, si in malam partem cum adversariis detorqueas hanc vocem, id est, opiniones extrinsecus fortè ingestas, non examinatas, nullo experimento, ratione nulla, nec conveniente auctoritate nixas concipere ac tenere coguntur homines.

LIX. Haetenùs de præjudiciis, quæ nobis objectantur et universè de traditionibus et observationibus ecclesiasticis *generatim* scripsi, quid sentiendum, quid hominibus inquietis rerumque novandarum cupidis respondendum sit. Atque hi ipsi ferè non aliter, nisi *generatim*, Ecclesiæ disciplinam criminari solent; quid enim afferent magnoperè, quod temporis sacrosancti concilii tridentini contra novas sectas examinatum, ac judicatum non est (1)? Eam igitur intelligimus *præsentem Ecclesiæ disciplinam*, quæ in illa œcumenica synodo discussa, confirmata et a pravus usibus, si qui irrepserant, expurgata est; qua indè ab eo tempore tuto firmiterque utimur, quanquam præcipua capita omnia diù ante in usu fuerant. De hac si novas lites cient, præjudicatum esse dicimus et præscriptione nos tuemur. Non patimur ea quæ tum examinata et probata sunt, *abusuum ac superstitionum* nomine vilipendi; nec *adiaphora* nos dicimus, quæ maximam vim ad pietatem habent, et sensa catholicæ Ecclesiæ contra errores novatorum manifestant. Ipsa

(1) Sectaris ejus temporis, antiqua Ecclesiæ instituta criminantibus, et ubique nova molientibus, acriter respondit Erasmus reterodamus, testis in hac re minimè suspectus, in epist. ad Tulturium Neocomum data apud Friburgum brisgoicum pridie novas novembris, an. 1529, contra quosdam qui se falso jactitant evangelicos: ubi demum ita concludit: "Quid multis? Si Paulus hodie viveret, non improbaret, opinor, præsentem Ecclesiæ statum; in hominum vitia clamaret. At quibusdam nihil indè placet, nisi quod ipsi instituerunt, quanquam ne in his quidem constantes. Medendum igitur vitiis, sed citra tumultum et illud obiter cavendum, ne morbo sint atrociora remedia." Vitiis quæ jure objiciebantur medicinam adhibuit S. concilium tridentinum, quod postea consecutum est.

sacrosancta synodus istiusmodi rituum et observationum Ecclesiæ contemptum non tulit, sed inflicto ferè anathemate vindicavit (1). Habemus viros magno numero, qui eandem disciplinam et probarunt et secuti sunt et maximum sanctitatis culmen eandem sequendo attigerunt, qui miraculorum gloria et publico universæ Ecclesiæ cultu nunc coruscant.

LX. Quæ de consuetudine et observantia ad hunc locum congeruntur a nonnullis, ea remittenda censeo ad titulum de consuetudine, qui exstat, l. I Decretalium: ibi enim exponitur, quæ sit legitima consuetudo, quod novum Jus pariat, quam habeat vim confirmandi, declarandi, abrogandi leges scriptas, aliaque generis istius. Traditio hoc loco sumpta est pro *testimonio*, tum dogmatum, quæ a Deo revelata sunt, tum regularum, quas primo constituit auctoritas divina, aut divinitus instituta, id est, apostolica vel ecclesiastica. Id testimonium situm est in ipsa publica professione, in doctrina patrum aliorumque scriptorum, in gestis synodalibus, in usu perpetuo. Charta et atramentum veritatibus aut regulis divinis vel humanis vim non addunt. Corruptioni etiam Scriptura subjacet. Periculum non est ut doctrina, aut institutio, sine scripto tradita, oblivioni detur, aut universè depravetur: non enim instar otiosæ et sterilis speculationis traditur hominibus, sed ejusmodi est de quæ omnes probi sæpè cogitant, quam Spiritu Sancto intus agente, credendo, sperando, amando versant; quæ publicis precibus inseritur, quæ in conventibus ecclesiasticis perpetuò exponitur et celebratur, quæ denique unanimi aliorum professione et domesticis exemplis, quavis Scriptura efficacioribus identidem prædicatur; cui sollicitudo pastorum, et sedis apostolicæ auctoritas nullo non tempore invigilat (2). Jure ergo traditioni et antiquitati insistitur explosa novitate: manet enim idem Spiritus, Ecclesiam perpetuò regens, manet idem Sponsus Ecclesiæ, *Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula*. Unde illic addit Paulus: "Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci (3)." Qui idem novos doctores ac novitatis sectatores quavis data occasione, pungere est solitus (1 Cor. VII, 40). "Puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam (2 Timoth. III, 7). Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes (Ephes. IV, 14). Ut jam "non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia "hominum, in astutia ad circumventionem erroris."

(1) Exempla protuli in Inst. J. E. P. c. I, § 320, agens de sanctitate Ecclesiæ. Quanti fieri et observari debeat probatus Ecclesiæ usus, sapienter, ut semper docuit S. Thomas, 2, 2, q. 10, art. 12, illam agitans satis celebrem quæstionem utrum pueri Judæorum aliorumque infidelium sint invitis parentibus baptizandi: "Dicendum, inquit, quod maximam habet auctoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda; quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Undè magis dandum est auctoritati Ecclesiæ, quam auctoritati vel Augustini vel Hieronymi vel cujuscumque doctoris; hoc autem Ecclesiæ usus nunquam habuit, quod Judæorum filii invitis parentibus baptizarentur."

(2) Appositè Paulus, II Cor. III, 2: "Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur et legitus ab omnibus hominibus; manifestatè, quod epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus."

(3) Hebr. XIII, 8. In eandem sententiam Erasmus I, c. contra novatores ait: "Quale est autem, quod exigitis, ut credamus, Ecclesiam annis mille et quadringentis caruisse Christo; sed Sponso spernente Sponsam pro Deo coluisse larvas et idola; in sacris litteris enarrandis fuisse prorsus cæcam, miracula sanctorum nihil aliud fuisse, quam præstigias, dæmonum?"

ARTICULUS V.

DE CONSUETUDINIBUS.

Consuetudo accipitur, velut quid *de facto* existens, et tunc significat frequentiam operandi liberè eodem modo; quo sensu dicitur etiam *mos*: vel accipitur ut quid *Juris*, seu ut aliquid habens efficaciam legis, et tunc admittitur de finitio S. Isidori, Cap. *Consuetudo*, 3, Dist. 1. "Consuetudo est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex." (Intellige lex scripta.)

Multam affinitatem habet cum *præscriptione* consuetudo: in utraque aliquid facti intervenit ad effectum producendum; et requiritur certus lapsus temporis, secundum regulas quas infra exponemus. At verò non modicum discrimen est inter consuetudinem et præscriptionem qua acquiritur aliquod Jus v. g. suffragii vel jurisdictionis. Etenim 1.º Consuetudo inducit *jus legale*, obligationemque parit tanquam lex, ut dicitur; præscriptio autem parit *jus domini*, seu utendi et fruendi. 2.º Ad consuetudinem necessarius est consensus populi, vel principis, contra quem quodammodo inducitur; in præscriptione verò necessarius non est consensus ejus contra quem præscribitur. 3.º In præscriptione requiritur bona fides; in consuetudine autem non semper, saltem a principio, etc. Vide apud Suares, *de Legib.* lib. VII, cap. 1. n. 10 et seq.

Ad consuetudinem refertur *desuetudo*, quæ locum habet, quando actus olim usitatus, nunc obsolevit in iis circumstantiis in quibus fiebat. Differt desuetudo a *non usu*, qui spectat eos actus, quorum rarissima occurrit occasio.

Consuetudo multiplex distinguitur: 1.º ratione eorum qui eam sequuntur, dividitur in *universalem*, quæ vim obtinet in omni Ecclesia; communem, quæ dicitur etiam *particularis et publica*, et quæ in ea communitate exercetur, ubi subsistit jurisdictio sufficiens ad sancendas leges, ut natio vel diæcesis; *privatam*, quæ ab eis exercetur, apud quos non est potestas legislativa, ut familia, parochia, domus, persona.

2.º Ratione objecti, alia est *secundum jus*, seu legem; alia *contra jus*, alia *præter jus*. Quæ verba satis per se intelliguntur.

§ I.

QUE SIT IN JURE CANONICO VIS CONSUETUDINIS?

R. Vis consuetudinis ordinariè a theologis tractatur ubi agunt de legibus; unde quæ levius attingemus sunt apud eos exquirenda, et præcipuè apud Suaresium. A nobis, respectivè tantum ad leges Ecclesiasticas, quæstio discutienda est, et ex ipsis Canonibus solvenda.

Observationes prævia. Primò tota vis consuetudinis fluit ex voluntate legislatoris, quia scilicet nemo potest inducere vel tollere obligationem moralem, nisi ille qui habet a Deo potestatem, cui omnis anima subdita esse debet. Sed duplex distinguitur hujusmodi consensus legislatoris: alius *legalis* vel *juridicus*, et alius *personalis*. *Consensus legalis* locum habet quando consuetudo inducitur juxta regulas a canonibus seu a jure præfixas: cum nempe superior seu legislator non censeatur ignorare legem, censeatur item consentire consuetudini juxta hanc legem inductæ, etsi forsitan in particulari talem vel talem consuetudinem non cognoscat. Consensus verò *personalis* ille est, qui speciali actu ab ipso superiore datur, sive

expressè, sive tacitè. Hic verò, ut patet, semper supponit consuetudinem esse cognitam a dicto superiore.

Secundo id insuper observamus, consuetudinem cui potest aliqua virtus competere relativè ad legem, non esse *privatam*, qualis esse potest alicujus familiæ, parochiæ, communitatisve imperfectæ; in hoc omnes consentiunt. Consuetudo privata frangendi legem, nedum imminuat culpam, e contra eam auget. Fieri tamen potest ut per consuetudinem alicujus communitatis imperfectæ, Capituli, v. g., parochiæ, collegii, immutentur *statuta specialiter ibi recepta*, novaque inducantur, quæ saltem conventionis mutuæ vim habebunt. Interdum etiam per consuetudinem debitè præscriptam, potest communitas quælibet, ut collegium, imò persona publica, ut Episcopus, acquirere privilegium, exemptionem a lege communi; non in eo sensu quod per consuetudinem possit directè se subtrahere legi, sed quia illa communitas potest comparare per præscriptionem debitam secundum regulas mox explicandas, jus aliquod, quo posito tollitur materia legis communis, et sic indirectè cessat obligatio legis. Eo sensu intelligitur a canonistis cap. *Non est*, 6, *de Consuet.* in 3. "Non est, dum tamen aliàs sit præscripta canonicè, consuetudo, quàm allegat Episcopus, reprobanda, quod in inquirendis, puniendis et corrigendis subditorum excessibus consilium sui Capituli requirere minimè teneatur." Consuetudo igitur quæ vel tollere, vel inducere legem valet, ea est quam sequitur major pars subditorum vel in universa Ecclesia, in natione, in diæcesi, in communitate *perfecta*; aut quàm sequitur saltem major pars eorum ad quos spectat *lex specialis*, puta clericorum, militum, mercatorum.

His præmissis, dicendum est vim consuetudinis esse diversam, prout est *secundum contra, vel præter jus*.

I. Consuetudo *secundum jus*, dicitur *optima legum interpret.* [Cap. *cum dilectus*, 8, *de Consuetudine.*] Ex usu ipso judicari potest quo sensu lex sit intelligenda, quæ sit ejus gravitas: legislator enim censetur verba adhibere secundum communem intelligendi rationem.

II. Consuetudo *contra jus* vim habet abrogandi legem, et derogandi legi, modo adsint debitæ conditiones: ita communiter Theologi et Canonistæ, probaturque ex cap. *Cum tanto, de Consuet.* "Cum tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detineant allegatam, nemo sanæ mentis intelliget naturaliter juri. . . . quacumque consuetudine, quæ dicenda est vetus corruptela, posse aliquatenus derogari. Licet etiam longævæ consuetudinis non sit levis auctoritas, non tamen est adedò valitura, ut vel juri positivo aliquod debeat præjudicium generare, nisi fuerit *rationabilis et legitime sit præscripta.*"

§ II.

PRÆREQUISITA UT CONSUETUDO VIM HABEAT LEGIS.

Requirunt igitur Jus canonicum 1.º ut sit *rationabilis* saltem aliquo modo; id est ut voluntas non observandi hanc legem possit in subditis honestari aliqua ratione, quæ in principe posset etiam honestare voluntatem abrogandi legem. Consuetudo igitur *rationabilis* expetit non eo sensu juxta quem esset omninò bona et sine peccato: imò necessarium est, inquit Suares, ut tales omissiones (si agatur de præcepto affirmativo) sint peccaminosæ, saltem in principio; quia si provenirent ex aliqua rationabili et sufficiente excusatione, ut si occurreret necessitas exusans, non possent ostendere voluntatem legi contrariam (lib. VII, c. 17).